



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Annotationes Ioannis Bugenhagij Pomerani in decem epistolas Pauli

Bugenhagen, Johannes

Basileae, 1524

VD16 B 9232

Capvt V.

urn:nbn:de:hbz:466:1-36165

ANNOT. IOANNIS POMERANI
apostoli Christi non nouerunt.

Hæc exerce.

Ut supra, admonet eū sui officij. Hæc exerce, id est
in his persiste.

CAPVT V.

Seniorem ne increpaueris, &c.

Hæc non est adulatio. Nam post dicitur in hoc
ipso cap. Peccantes coram omnibus, argue, ut
& ceteri timorem habeant. Sed potius est Christiana
modestia cum omnibus, tã maxime Christiano docto-
ri necessaria, ut & uerba quoq; nostra spirent amo-
rem. Verum hic additur, cū omni castitate, ut blanda
foeminarū appellatio non solū apud nos pura, sed etiã
apud ipsas & apud alias sine suspitione sit. Oportet
enim nos prouidere bona, non tantum coram deo, sed
etiam corã hominibus, ad Rhom. 12.

Viduas honora.

Locus hic est de uiduis, quas omni auxilio destitu-
tas, suscipiebat ecclesia alendas, quibus prouidebant
Diaconi ex bonis ab ecclesia in pauperes collatis. Hæc
non propter uotum, quod scriptura non nouit uspiam
suscipiebantur, sed propter paupertatem. Et hæc uo-
cat uere uiduas, quæ non solum marito, sed etiam filijs
aut amicis, qui eam alere possent, aut bonis destituta

non

Sunt, has præcipit honorandas, non uerbis aut gestu:
 sed rebus ipsis, sicut præcipiuntur honorari parētes.
 & infra: Presbyteri duplici honore digni sunt, &c.
 Vide quæso quàm diligenter cauet Paulus ne iniiciat
 laqueum, aut certe ne cadatur in laqueum diaboli
 ab ipsis uiduis, quæ tantum suscipiebantur alendæ,
 ne ocium sectantes in alieno labore inciperent lasciui-
 entes deficere à Christi fide. Quàm bene nouit Pau-
 lus hoc genus, de quo dicit, quæ in delicijs uersatur, ea
 uiuens quidem carne, mortua tamen est deo: id est,
 fidem abnegauit. Vbi autem sunt illi laudatores uir-
 ginitatis & uiduitatis? qui nihil aliud faciunt quàm
 quod in laqueos trudent insanis laudibus, nescientes
 de quibus adfirmant. Paulus laqueos cauet, & in uir-
 ginitate & uiduitate, sicut hic uides. & I. Corin. 7.
 Propter fornicationem, inquit, unusquisque habeat
 uxorem suam. Et iuniores uiduas nubere uolo, filios
 procreare, &c. Et sic sequentur non Hieronymum,
 sed deum, qui eas ad talia creauit, certè quod deo ta-
 lia placeant, et quod per hæc seruiant proximo, id est,
 marito, filijs, familiæ. Reliqua in hūc locū uide in libel-
 lo de uotis in fine. De uiduis hodie minus periculi est,
 de quibus tamē solis scripsit Paulus, sed alendis, nō uo-
 to adstringendis. Doctrinæ uero demoniorū perpe-
 tuos laqueos omni ferè ætati & sexui iniecerūt, &c.

Quod si qua uidua.

ANNOT. IOANNIS POMERANI

Viduae annos natae sexaginta, aut sunt uere uiduae et desolatae, hae alantur: aut non sunt desolatae, sed habent liberos aut nepotes, hae gubernent domum pie, id est, in domino & doctrina fidei, & uicem reddant maioribus: id est, sic seruiant minoribus ad se pertinentibus (quos uocant liberos & nepotes) sicut ipsis seruitum est à suis maioribus. Quod si facere nolunt, fidem abnegarunt, & sunt infidelibus deteriores. Quam enim fidem haberent qui hoc nolunt quod deus uult, & illos abijciunt, quos deus ipsis dedit, quibus nisi seruiant, nulli seruire possunt? Quae quæso charitate uterentur in alienos, quæ suos negligunt & contemnunt? Fides esse non potest, ubi fructus eius non ostenditur, non solum erga alienos, sed etiam erga illos ad quos etiam natura propensa est.

Porro quæ uere uidua est.

Describit quæ sit uere uidua, quæ desolata speratur caste uictura, tamē si iunior est, nubat & non suscipiatur alenda, tradatur marito alēda, ne postea lasciuat in Christum. Sed quis hodie pauperem tradit marito? Felix hæc ordinatio, sed non seruata. Degenerauit autem in sectas perditionis utriusq; sexus.

Hominum testimonio, &c.

Nec omnes uiduas sexaginta annorum, licet desolatae sint, suscipit: sed quæ testimonio hominum comprobatae sunt, ne postea sint scandalo Christianis inter

gentes. Irreprehensibiles, id est, sine crimine coram hominibus.

Primam fidem.

Id est, fidem in Christū, alioqui non diceret, lasciuire cœperint in Christum: quæ deinde nō solum sunt scandalo Christianis, uerum etiam obloquantur in domibus aliorum, etiā gentilium, dum quærunt maritos. Vide libellum de Votis. Hoc est quod hic addit, nullam occasionem dare aduersario, ut habeat ansam maledicendi Euangelicæ doctrinæ. Fidem uero in Christum & non uotum intelligere Paulum satis ostendit quod sequitur. Iā enim nonnullæ deflexerūt, secutæ satanā.

Quod si quis fidelis.

Iam etiam gloriantur monachi, quod sua relinquāt, ut uiuāt ex ecclesiæ bonis. Clerici uero & sua retinēt, & pauperū sudore uiuunt. Paulus non uult, ne uiduis quidem, quibus per amicos succurri potest, grauari ecclesiam.

Haftenus de uiduis, &c. Præceptum charitatis exigit uere uiduis succurrere. Cætera quæ hic ordinat de uiduis Paulus, bona sunt ad cauendos multos laqueos in uiduis: quæ tamen non ita accipe, quasi legem tibi præscribat Paulus, cum uir spiritualis posset etiam adhuc aliqua ex his immutare, & aliter obseruare pro loco & personis, si uideret expedire. Præterea de quibus scribit, hoc honestum est & acceptum corā

5

ANNOTAT. IOANNIS POM.

deo. Tu uero uide ne ista contēnas, caue laqueos, caue scādala. Paulus astutias satanae nō ignorauit, &c.

Qui bene præsunt presbyteri.

Senioribus, qui præsunt in ciuitate reliquæ multum dini, & bene præsunt, debetur duplex honor. Alter, ut authoritati eorū deferatur, & obediatur eis cum reuerentia. Bene enim præsunt, id est secundum iudicium spiritus quod habent, omnia sine neglectu disponunt. Alter, ut ex ecclesiæ bonis eis prouideatur de necessarijs, qui ob gubernandi & curandi quæ gregi salubria sunt, occupationē & studium, sua curare nō possunt. Et cum hæc debeatur illis, qui bene præsunt, id est in domino præsunt, in primis debentur etiam his, qui laborant in sermone & doctrina, id est euangelistis siue doctoribus, Matthæi 10. I ad Corin. 9. Gala. 6.

Aduersus presbyterum.

Qui præsunt, facile incurrunt odia inobedientium, & idcirco nō facile audiri debent, qui tales accusant, cum quod suspecti sunt accusatores, tum quod maiori scādalo sunt, qui præsunt, si crimine notati fuerint uel suspecti. Quod si manifestum fuerit ecclesiæ eos peccasse, aut peccare, uel contra eos probatū fuerit duobus aut tribus testibus secundum legem, Deu. 19. Ab episcopo, id est euangelico doctore siue apostolo, qui illic constitutus est, debent coram omnibus argui, ne dum

conuictur, eorum error uideatur uel approbari, uel non esse error, & inueniat imitatores. Ideoq; non est necessarium quærere, quomodo hæc conueniant cum uerbis Christi, Matt. 18. Corripe eum inter te & ipsum. Nam hic dictum est ecclesie. Ergo coram ecclesia corripendi sunt presbyteri peccantes, si sic conuicti fuerint. Maius præterea periculum est in his qui præsumunt, si peccant, quàm in alijs fratribus. Aduerte ergo, quod consequentia textus postulat, ut quod dicit, eos qui peccant, &c. de senioribus siue presbyteris intelligas. Si uero de quibuscumq; intelligere uolueris, tamen necesse est, ut de manifestis criminibus, aut de conuictis intelligas secundum euangelium.

Obtestor in conspectu dei, &c.

Deus, Christus, & electi angeli nostra uident: sic ergo exequamur nobis commissa, ut in conspectu tali. Ut serues, inquit, hæc sine præcipitatione iudicij, sed sano consilio & diligenti inquisitione per testes, &c. Nihil facies iuxta propensionem animi, id est carnali iudicio & fauore in persona, aut odio, hoc est, uide ne subito proferas sententiam secundum affectum subitum, quia & lex dei de iudicibus dicit, Deute. 16. Iudicent populum iusto iudicio, nec in alteram partem declinent, non accipias personas, nec munera: quia munera excæcant oculos sapientium, & mutant uerba.

ANNOT. IOANNIS POMERANI
iustorum, iuste quod iustum est prosequaris.

Manus citò, &c.

Id est subitò, ne alicui cõmittas episcopi munus, sed probetur antea, si talis sit, qualem supra depinxi.

Neq; cõmunicas peccatis alienis.

Si qui iniuste faciunt, si qui quod iustum est, non iuste exequuntur, uide ne consentias, ne conuiueas, ne taceas: sed contradicas, &c. Ut si nihil aliud efficias, tamen conscientiam tuam liberes, hoc est quod addit: semetipsum purum serua.

Ne posthac bibas aquam.

Hinc habes, quod corporales exercitationes pro nostro arbitrio seruare, mutare, intermittere, ommittere possumus, quas adhibemus secundum corporis nostri rationem, ut seruiat, non intereat, &c.

Quorundam hominum peccata.

Quia dixerat, neq; communices peccatis alienis: ne hic superstitiosius trepidaret Timotheus, dicēs: Quid si ignorem peccata aliena, id est illorum quibus comunico? respondet: Dies docebit. Ergo quod dixi, ne sis in iudicio præceps, nihil opertum, quod non reuelabitur: interim nihil iudicato. Pro bonis habeto, de quibus nemo male sentit, qui nemini sunt occasio peccati. Hic nihil tuæ conscientie, aut tuo officio erit periculi. Atq; hanc hic esse ueram sententiam, quam con-
textus

textus requirat: credo, ut iudicium hic non intelligas illud Christi extremum, sed iudicium humanū in hac uita, quod supra commisit Timotheo. Sic dicit: Manifesta peccata procedunt ad iudicium, id est non indigent iudicio, uel ut iudices, siue sententiam de eis proferas, quia iam iudicata sunt. Aliquorū uero peccata subsequuntur: id est, postea nota erunt. Ex fructibus enim cognoscetis eos. Sic & opera bona manifesta sunt ante: id est, antequā iudicentur, uel de eis sentētia feratur. Ea uero quæ secus habēt, id est in occulto male fiūt, aut uelut bona sese per hypocrisim uenditāt, occultari non possunt, id est suo tēpore prodentur. Tūc ergo iudicandi sunt ab ecclesia mali, quando malos esse se notū fiet. Non maculauit Christum, quod Iudā habuit apostolū, ceteris nesciētibus, quod esset diabolus & proditor. Nam interim nō male docuit, officiū non neglexit, nemini scādalo fuit, &c. Sic & de manifestis fructibus carnis & spiritus legis ad Gal. 5.

CAPVT VI.

Quicumq; sub iugo sunt serui, &c.

Prima ad Corin. 7. dicitur. Vnusquisq; in qua uocatione uocatus est frāter, in hac permaneat apud deum. Apud deū, inquit, ne credas te in conditione turpi oportere manere, quādo uenias ad fidem. De oībus ergo medijs intellige. Media sunt siue indiffe-